



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

LXVIII [i. e. LXIX]. Mißae Sacrificium vnde, Quid, Quotuplex dicitur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

tem Christum agnoscant Corpore & Sanguine; Luth. ibid. Melanch. de Coena, Illyr. in Confess. Antwerp. Quidam, esse adorandam; Lutherus l. de verbis, *Hoc est Corpus*. Bucerus, Brentius, Kemnitius. Negant hi tamen adorandam sic, ut Catholici docent; quos *ἀρτολάτραι* vocant.

CALVINUS *Instit.* l. 4. c. 17. §. 35. &c. cum suis omnem Eucharistiæ adorationem proclamant esse Idololatriam. Tigurini in apolo-
g. fatentur, se adoratos Sacramentum, si crederent ibi Christum esse præsentem.

SVADENT istis. 1. *Lutherus*. Ad verba Cœnæ attendendum; at adoratio impedit attentionem. 2. *Calvinus*. Apostoli communicantes non leguntur adorasse. 3. Christus in omni creatura est: ergo & adoranda foret. 4. *Honorius III.* instituit adorationem: *Urbanus IV.* festum Corporis Christi: ergo humanum inuentum est.

AVTOR. Christo in Eucharistia debetur Adoratio. 1. *Deut.* 6. *Matt.* 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: At Christus Deus & homo est in Euch. Ergo. DICES: Adorandus est, ubi est, seque adorari iussit, sc. in Cœlo, non in Sacramento: Nec enim dixit, *Accipite & adorare*. Deinde, Christus non est in Cœna; sed Corpore eius. RESP. *Ioann.* 4. In omni loco adorandus est Deus. Nec in præsepio erat, ut adoraretur; sed ut qui-
elceret: rectè tamen adoratus est. Ita Adorari, est secundaria Sacramenti Institutio. 2. Traditio S. Patrum iuberet adorari in Euch. Christum. *Bellarmin.* lib. 4. c. 29.

DICO AD I. Adoratio ex verbis Cœnæ oritur, ut inde moveamur ad eam tantum abest, quod impediatur.

AD II. Apostoli ut se habuerunt erga conuersantem cum iis Christum: ira & erga latentem sub speciebus. Semper ut Deum agnouerunt, sic & coluerunt.

AD III. Non instituit *Honorius*, sed monuit Prælatos, ne Christum honore fnerent fraudari. Festum *Urbanus* instituit; cuius officium id postulabat.

VIII. DE MISSA.

QVÆSTIO LXIX.

Missa Sacrificium Vnde, Quid, Quotuplex esse dicitur?

LUTHERANI. Missam deducunt à voce *Mahhu* *Lzim*, Dan. 11. *Deum Mahhu* *Lzim* colet in loco suo. Et Missam, ait *Kemn.* p. 2. *Examen.* robur esse Romani Antichristi. 2. Melanch. Missam dici vult ab *Missach*, id est, voluntaria oblatio.

3. CALVINUS *Instit.* l. 4. c. 18. §. 18. Melanch. in apolo-*g. Confess. Aug.* dictam volunt à mittendis muneribus, quasi symbolis.

4. Missam definit Melanch. ibid. esse opus, quod Deo reddimus, ut eum honoremus. Et seque vult Sacrificium duplex, Propitiatoriū, seu Satisfactio pro peccatis Deū placans: Eucharisticum, seu gratiarum actio pro beneficiis; ut est Fides, prædicatio, oratio. &c. & bona quæcunque ad laudem Dei: Et hoc propriè vult Missam esse: teste S. Aug. 10. *Ciuit.* cap. 6. *Sacrificium verum est omne opus bonum, quod agitur, ut S. Societate inhæreatur Deo; relatum ad eum finem, quo beati esse possimus.*

5. CALVINUS ibid. Nos perpetuo Scriptura usu Sacrificium appellari scimus, quicquid omnino Deo offertur.

6. Kemnitius ibid. ait: Sacrificium est Ceremoniale quid & externum; ut in Veteri Testam. Hostiæ, holocausta, decimæ, &c. 2. Sacrificium Crucis mortis Christi. 3. Sacrificium Spiritale interius; ut prædicatio, oratio, elemosyna, mortificatio &c.

AVTOR. I. Missa, vox antiquissima apud S. Ambr. l. 5. *epist.* 33. *Aug. Serm.* 91. *de temper.* &c. 1. dicitur à dimissionē populi. 2. Accipitur etiam pro precibus. 3. pro Liturgia ab Offertorio vsque ad

Rr 3 finem.

finem. 4. pro tota Sacrificii Actione: Et hæc propriè est Missa: Eius formalis ratio consistit in Oblatione, Consecratione, & Sumtione; quoad materiam formam, finem.

II. SACRIFICIUM est oblatio externa, formaliter; facta soli Deo, (hæc quidditas) quâ à legitimo Ministro, rite ordinato, Res sensibilis & permanens, ritu mystico consecratur, offertur, transmutatur; Quo fine? ad agnitionem humane infirmitatis, & professionem divinae Manifestatis.

III. Sacrificium legis Mosaicæ, 1. Ratione Materie, erat Victimæ animalium: Immolatio frugum, panis, salis, thuris: & Libamina liquorum. 2. Ratione formæ ac finis, erat Holocaustum; Sacrificium pro peccatis: & Hostia pacifica. 3. Ratione temporis, iuge, & Solenne.

2. Legis Euangelicæ duplex: Cruentum Crucis: Incruentum altaris: Figuratum in lege utrumque fait. In Cruento plura insunt. 1. Christus oblatus: 2. à Patre in mortē: 3. Patri obediens: Vt Isaac. 4. Verè occisus; vt Victimæ. 5. Sanguine effuso; vt aspersa superliminaria: 6. Sanguine nos mundante; vt Hireorum sanguine, Hebr. 9. 7. Innocens occisus: vt Agnus paschalis: 8. Insons cum latronibus deputatus; vt Hircus loco agni. 9. Crura non fracta; vt Agni. In Incruento item plura spectanda. 1. iuge est. 2. Caro Christi editur verè; vt agni. 3. Sub specie panis & vini; vt Melchisedech. 4. Edendum à puris; vt sanctificatio filiorum Iob. 5. Sit præuia contritio; vt agrestis lactucæ esus cum agno. 6. Paratio in viam mandatorum; vt succincti lumbos.

Cruentum & Incruentum Conueniunt,

1. In Christo per modum Victimæ oblato. 2. In offerente, qui principalis Sacerdos est Christus. 3. In fine: nam utrobique pro peccatis. Differunt, 1. Specie externâ, hominis veri in cruce; Panis & vini in ara. 2. In ritu ac modo offerendi; in cruce per mortem realem; in ara per mysticam Consecrationem. 3. Ministro, ad aram Sacerdote; in Cœna Seipso. 4. In Effectu, per Crucem acquisito, in ara applicato. 5. In significatione: Nam Sacrificium Cruentum nihil typi habuit: Incruentum est representatio Cruentis: Hoc facite in meam commemorationem.

DICO AD I Rex culturus Deum Mahuzim erit Rex Aquilonis, Daniel. 11. quem Romani oppugnabunt, teste Hier. Idē alios Deos non colet, nisi Mahuzim; At nos fingimur tot colere, quot Sāctos. Dein Antichristum fingunt natum post annum Christi 600. at Missa coepit anno Christi 34.

AD II. At qualis voluntaria oblatio? Infra, ad IV.

AD III. At hoc est contra omnem Antiquitatis Veritatem; quia confundit Missam cum Agapis, Conuiujs corporalibus, seu sportulis.

AD IV. Non omne opus bonum ad laudem Dei factum, est propriè Sacrificium.

I. Quia opera virtutum in Scriptura opponuntur Sacrificio. Ose. 6. Misericordiam volo, & non Sacrificium. 1. Reg. 15. Melior est obedientia, quam victima. Plal. 50. Si voluisses Sacrificium, dedissem vitæque, &c. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. &c. II. Quia virtus in sola actione consistit; at Sacrificium aliquid præterea sent-

insensibile offert Deo. Gen. 22. *Ecce ignis & ligna, ubi victima?* III. Quia actus proprius & elicitus non potest diuersarum esse virtutum: at Sacrificium est proprius actus religionis; teste Aug. l. 20. *contra Faustum*, c. 21. IV. Quia in Ecclesia vnum est propriè dictum Sacrificiū, iuxta Aug. 8. *Ciu. c. ult.* & omnes S. Patres. V. Sacrificium & Sacerdotium, propriè dicta, sunt relatiua: Hebr. 5. & 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera constituitur*: Ideo Lutherani propriè dictum Sacerdotium non agnoscunt; quia Sacrificium propriè dictum respuunt. At qui non omnes, qui bona operantur, sunt Sacerdotes propriè dicti. V. Altare, & Sacrificium sunt relata; at ara non est omni operi bono necessaria. Vnde contra Melancthonem Calvinus Instit. libro quarto capit. 18. §. 13. *Qui Sacrificii vocabulum ad omnes ceremonias, & religiosas actiones extendunt, quæ ratione id faciant, non video.* Quare S. Aug. suprà definit impropriè dictum Sacrificium.

AD V. Omne Sacrificium est oblatio; sed non contrà: vt vult Calvinus. 1. Illud enim requirit mutationem & consumptionem. Non igitur προσφορά est θυσία aut ελπίς. 2. In Scripturis multa dicuntur offerri, vt aurum, argentum, fructus, byssus, &c. quæ dici nequeunt Sacrificari. 3. Quia Oblationes non requirunt altare, nec Sacerdotium.

AD VI. 1. Decimæ nusquam in Scriptura dicuntur Sacrificium propriè dictum. Hoc enim soli Deo offertur; illæ autem Sacerdotibus, non Deo. 2. Ceremonialia, & externa cum Vetere

Testamento desierunt esse Sacrificia, ait verè Kemnitius: At idem contendit Baptizari, & Cœnare esse Sacrificia: sunt autem externa & ceremonialia: ergo non solum spiritualia interna sunt Ecclesiæ Sacrificia.

QVÆSTIO LXX.

An verum Sacrificium offeratur in Missa?

LUTHERVS in formula Missæ ad Wirtenb. omnia Lad. robat vsque ad offertorium inde, ait, *sequitur tota illa abominatio. Proinde repudiatis, quæ oblationem sonant, quæ pura, retineamus.* Sic anno 1523. In eo totus est, docere, Nil à nobis offerri nisi orationes; quin à Deo nobis offerri Eucharistiam, in testimonium promissionis. Ideo anno 1521. edit librum *de abroganda Missa priuata.* Alium anno 1522. contra Regem Angliæ. Alium anno 1523. contra Canonem. Alium anno 1527. *de verbis cœnæ contra Zuinglium.* Alium anno 1538. quo fateatur supra omnes abominationes se habere Missam, nilque dolere grauius sibi, quàm quod XV. annis Missas patrauit. Anno 1534. lib. *de Missa priuata* facit se à cacodæmone edoctum de abominatione Missæ.

LUTHERANI pariter spiritu furiantur eodem. Lutherus libro de Missa priuata. *Hic non moramur, si elan item Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres, Quia hominum dicta, aut facta nihil in tam magni causis curamus. Scimus ipsos etiam prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos.*

CALVINVS Instit. lib. 4. c. 18. contendit Missam, 1. *Insigni contumeliâ Christum afficere.* 2. *Crucem eius sepelire:* 3. *Mortem eius in obliuionem tradere:* 4. *Fructum tollere:* 5. *Sacramentum dissipare.* Totum id caput furiosis scætibus blasphemis ac mendaciis. Proinde in sua formula Geneuensi de Sacramentis administrandis cauet, ne mentio fiat oblationis. Vbi supra, ait: *Pestilentissimo errore Satan totum penè orbem excacauit, ut crederet Missam Sacrificium.* Ibidem §. 12. *Non est cur ullâ hominum auctoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos moueri.*

LV.